

lis longissimus fuit, ibi ob tardioꝛem hic ob volocioꝛem So-
lis motum versus orientem. Ad initia verò ☉ & ♄ solstitiales
dies mediocres fuẽre. Nunc autem ubi Apogeum in ☉ pervenit
solstitiales dies æstivi brevissimi sunt & Brumales longissimi.
Tertia causa est obliquitas Eclipticæ ad Æquatoꝛem, ob quam
æquales utrinque gr. per Meridianum non transeunt, quæ sola
causa sufficeret etiam si Sol æqualiter per se in Zodiaco movere-
tur, tamen Æquatoꝛis atque adeò temporis appendix primi
mobilis diei addenda non esset eadem nec æqualis, quæ causæ
unum diem ab altero insensibiliter multos tamen evidenter dif-
ferre faciunt, uti ostendit Ricciolus. Quarta causa etiam est va-
ria Horizontis obliquitas in Sphæra obliqua, cui etiam adjungi
potest Parallaxis & Refractio horizontalis. De horum verò Æ-
quatione & aliis plura vide apud laudatum sæpè Ricc.

§. II. Hinc patet ex prioribus non sine ratione factum
ab Astronomis ut Æquatoꝛem mensuram imò subjectum ARum
& Oarum facerent, omniumque arcuum ac punctoꝛum Eclipti-
cæ imò stellarum quarumcunque ascensionem & descensionem
per arcum Æquatoꝛis definirent à principio V pro diversa
Sphæra ad diversum terminum numeratum. Ab hoc etiam cir-
culo tanquam termino numerantur declinationes omnium
punctoꝛum cœlestium, in circulo maximo per polos mundi &
quodvis punctum ducto, ut adeò tanta sit quantus est arcus cir-
culi declinationis inter Æquatoꝛem & punctum datum interce-
ptus, nunquam verò 90.0. excedere potest, unde poli Æqu. ma-
ximam declinationem habent. Et quia hic circulus totam Sphæ-
ram in partem septentrionalem dividit, hinc & declinationes
vel Sept. vel Australes sunt. Geographis verò insignem is præ-
stat usum, cum & longitudes in eo & latitudes ab eo nume-
rent, de quibus illi. Nos jam satis.

SECTIO II.

§. I. Zodiacus est circulus maximus mobilis & invaria-
bilis, qui præter communem circuli in 360.0. divisionem insuper
in XII. signa dividitur, & planetarum receptaculum est, adeoq;
latitudinem admittit.

§. 2. Dicitur autem ita vel $\delta\tau\omicron\ \tau\eta\varsigma\ \zeta\omega\eta\varsigma$, quod secundum
motum